



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita S. Liborii Episcopi, Calcvlo Laborantium Patroni

Bolland, Johannes

Antverpiae, 1648

Capvt I. S. Liborii gesta vnde Auctor acceperit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9573

62 VITA S. LIBORII PATRONI

Christo in æternum viuamus, cuius regnum
& imperium sine fine permanet in secula se-
culorum, Amen.

a *Aliter paullo 2. Vit. oppidò Deo vulgò placere.*

b *De S. Liborij ætate egimus §. 1. n. 4.*

c *Ibidem nu. 1. ostendimus quinto legendum.*

ALIA VITA

Auctore Saxone anonymo,

*Ex MS. Canon. Regul. Corfendoncano
& Bodecensi.*

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

S. LIBORII gesta unde Auctor
acceperit.

Doctores & I.
Episcopi à
Deo dati,



Vamuis multifariam mō-
disque ineffabilibus super-
næ bonitatis erga salutem
humani generis pia dispen-
satio cognoscatut; in hoc
tamen maximis videtur clarescere indicatijs,
quòd Ecclesiæ suæ, in hac mortali conuersa-
tione pro æternæ vitæ præmio laboranti, ta-
les

les eruditorēs defensoresque prouidit, quorum doctrinis & exemplis informari, quorum meritis & intercessionibus possit in perpetuum adiuuari. Omnibus enim, qui in pro-
 cinctu fidei positi, agone militiæ Christianæ
 contra spirituales nequitias iugiter colluctan- *Ecclesiam*
 tur, quid vtilius esse credatur, quàm illorum *iuuant ver-*
 imitandas præ oculis habere virtutes, qui in *bo, exemplo*
 eodem agone legitimè certantes, perpetuam *patrocinio*
 adepti sunt victoriæ coronam: Quid felicius,
 quàm eorum precibus muniri, quibus cun-
 cta, quæ petierint, præstanda Veritas ipsa pro- *Ioan. 14. 13.*
 mittit? De his enim loquimur, qui verè in
 Christo manentes, eiusque in se verba mane-
 re facientes, illud consequuti sunt præmium,
 quod ipse promisit, dicens: Quodcumque vo- *Ioan. 15. 7.*
 lueritis, petetis, & fiet vobis.

2. Hoc equidem licet ad Apostolos spe-
 cialiter dictum sit, pertinet tamen nihilomi-
 nùs etiam ad alios quosque excellentiâ san-
 ctitatis insignes; illos præcipuè, qui Aposto-
 lorum tam meriti quàm officij successione
 sublimati, perenni refulgent gratiâ sacri præ-
 sulatus. Ij namque tantò faciliùs à Deo quæ-
 libet impetrant, quantò ei & per puritatem
 conuersationis, & per sublimitatem sacri or-
 dinis appropinquant. Nec dubium quin plu-
 rimùm illorum preces apud Dominum va-
 leant, quorum ipse potestatem tantùm in cæ-
 lo terræque valere concessit, vt quidquid hîc
 ligarent, maneret ibi ligatum; quidquid hîc
 solue-

soluerent, esset protinùs ibi solutum. Præterea illorum officij dignitatem ipse inhabitator & consecrator eorum Spiritus sanctus ostendit,

Malac. 2. 7. qui per Prophetam Malachiam loquitur, dicens: Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus

Apoc. 1. 20. Domini exercituum est. Hinc in Apocalypsi *Angeli & stella dicti* Ioannis, Ecclesiarum Præsules non nisi Angeli vocantur, signati per septem stellas, in

Christi dexterâ demonstratas. Sunt enim stellæ, quia virtutibus radiant; Angeli, quia mandata Diuinæ iussionis annuntiant. Constat igitur, eos non parum transcendere modum infirmitatis humanæ, quos toties Scriptura sancta non dubitat Angelos appellare.

3. a Ipsorum verò in Ecclesiâ Principes & primi propagatores, Apostoli fuere, qui post gloriosam Domini nostri Iesu Christi ad cælos ascensionem, iuxta promissionem ipsius, Sancti spiritus infusione roborati, & scientiâ omnis veritatis instructi, in diuersas mundi totius penè profecti sunt regiones, verbum salutis annuntiantes vbique, & tam miraculorum signis, quàm prædicationum hortamentis, id in breui efficientes, vt, quemadmodum egregius olim Propheta præcinuit, In omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Ex eorum igitur salutaribus cælestibusque doctrinis, quas ab ipso fonte veritatis largiter hauserant, Ecclesiasticorum ordinum regula, diuini cultus

Psal. 18. 5.

Apostolorum successores.

insti-

institutio, & tota Catholicæ religionis observatio sumpsit exordium. Post quos multi per orbem Ecclesiarum Præsules, illorum in omnibus vestigia sequuti, & eorum non minùs virtutum gratiam, quàm ordinis dignitatem adepti, eandem tenuerunt in fide sinceritatem, in moribus sanctitatem, in doctrinæ studio vigilantiam; quâ & fidelium mores corrigerêt, & infidelium mentes ab errore converterent. In quo plures eorum tantùm Domino placuisse noscuntur, vt clarissimis vsque hodie miraculis coruscare videantur.

4. Ex quorum glorioso collegio vîr magnificus & incomparabilis extitit sanctitatis Liborius, Ecclesiæ Cenomanicæ Præsul, cuius modò proposuimus vitam & transitum breuiter commemorare; vtile ac fructuosum fore legentibus arbitrati, eius vitam actusque cognoscere, quem sequendo, possint in Diuinâ seruitute proficere. Eius etenim vita nihil aliud erat, nisi quoddam cælestis conuersationis indicium, Christianæ religionis exemplum, virtutis ac fidei documentum. Vnde quoniam ipse Dominicum illud impleuit præceptum, Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est; nobis in vitæ mortalis errore degentibus enitendum valdè solerti imitatione videtur, vt qui vitiorum & ignorantix tenebris obfuscamur, lucifluis bonorum eius operum radijs

*S. Liborij
vita fideliter
scripta;*

Matt. 5. 16.

E

illu-

66 VITA S. LIBORII PATRONI
illustremur. Nec nos quisquam existimet in
eius laudibus à veritatis aut moderationis
tramite deuiare, cum nulla, nisi à veracibus
scriptis seu relationibus comperta, proferamus:
nec eum dignè à mortali linguâ posse
laudari, ipse, cum quo nunc immortaliter re-
gnat, Deus visibili palàm ostensione decla-
ret. Testatur namque, cunctis eum virtutibus
atque omni vitæ merito acceptum sibi fuisse
viuentem, dum defuncti reliquias euidentis-
simis miraculorum signis frequenter glori-
ficare non desinit.

*miracula
post mor-
tem,*

*qua in vitâ,
vel non scri-
pta, vel de-
perdita:*

5. Ex quo datur intelligi, hac eum gratiâ
nequaquam in præsentī vitâ caruisse, quam-
uis inde specialia litterarum indicia qualibet
ex causâ non habeantur. Siue enim, quod fa-
miliaris Sanctis omnibus semper humilitas
persuadet, vt ea quæ sibi ante humanos ocu-
los laudi & gloriæ videri valent, celari ab-
scondique desiderent, hoc ipse præ ceteris
obtinuerit; siue gesta signorum virtutumque
illius descripta quidem plenius, sed casu quo-
libet posteriorū notitiæ subtracta fuerint, siue
aliud quid causæ fuerit ignorantes; liquidò
tamen credimus, eiusdem sancti Spiritus gra-
tiam, qui toties ante eius sacrosancta pignora
præclarum sui charismatis donum, operatio-
nem scilicet virtutum, ad ipsius demonst-
randa merita exhibere dignatur, eidem quoque
in carne posito minimè defuisse. Non tamen
desunt etiam certa de eius meritis apicum
moni-

monimenta. Habentur etiam gesta Pontificum eiusdem, cui præfuit, Ecclesiæ Cenomanicæ, simplici eloquio, & absque omni næuofigmenti, fideli narratione contexta: in quibus non plena alicuius eorum vitæ series replicatur; sed quis cui successerit, cuius meriti fuerit, quot annis Ecclesiam rexit, breuiter est annotatum. Huius verò sacri ac pretiosissimi viri Liborij etiam transitus ex hac valle lacrymarum, ad societatem semper verè beateque gaudentium ciuium supernorum, quo contigerit ordine, latiùs indicatur. Extant & aliæ de eius ortu & vitâ litteræ strictim exaratae, de quibus omnibus vtilissimis quibusque & veracissimis narrationibus desloratis, hîc eas, prout diuinitus facultas datur, paucis explicare conamur.

a In ms. monasterij Bodecensis Canonico Regulari Ord. S. Augustini, è quo variantes lectiones nobis Ioannes Gamansius noster communicauit, hîc Prologi finis, Vita exordium erat.

CAPVT II.

S. LIBORII à primâ etate sanctitas;
Episcopatus.

6. **H**ic igitur ex Gallijs originem ducens, & parentum non ignobili ortus prospiciâ, clarissimam a patriam suorum claritudine meritorum ampliùs illustrauit. Namque ab etate primæuâ, maturum in bonis actibus

*S. Liborius
Gallus, nobilis, à puero
grauis,*